Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35039
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

-L-j-

propter unum consulem videlicet postumium de quo in ex(empl)o precedenti dicit. Sed de
quatuor viginti preter duos consules de quibus in isto ex(empl)o dicit. Secundo nota ibi comi
cium multis modis dicitur. Primo pro loco in quo fiebat electio consulum et sic comitium
quasi coitum. Secundo pro ipsa electione. Tercio pro gaudio quod fiebat dum eligebantur
consules. Quarto pro parlamento populari et sic accipitur hic, fiebant enim in eo ta
bernaculo deorum parlamenta popularia que senatus condempnavit. Si igitur templa
que non deorum sed ydolorum vere erant, debebant esse ab hominum consorcio remota,
quanto magis templa veri dei et sanctorum suorum. Ideo dicebat aug(ustinus) in oratorio nemo aliquid
agat nisi (ad) quod factum est et inde nomen accepit. ¶ Quid sit augur patet supra
in principio sed hic stat pro sacerdote.

Consimili rome etc. Celius marcus et cornelius thegus et gneus claudius
romanorum principes non simul nec eodem tempore sed per sinn diuisis temporibus
romandiole provinciam pro re publica gubernarunt. In qua inextima admo
uerunt sacrificiorum que in illa viguerunt provincia, ob hanc enim iussu senatus
revocati fuerunt et ut abirent a romandiola variis coacti bellis quod tangens valerius
dicit. Consimili rome ad duos consules de quibus in precedenti ex(empl)o dictum est tres consules
de quibus nunc dicitur propter deorum immortalium extra pares timore ad motum, qui videlicet
cum parva reverencia ipsa detinebant cum diis sacrificabant temporibus variis, qui non
simul flaminio i. romandiola abire iussi sunt a senatu bellis quibus diversis eciam
et coacti a provincialibus romandiole de irreverencia circa deorum sacrificia indignatis.
¶ Ad evidenciam eius quod in isto ex(empl)o dicitur non putetur superfluum si reducatur in mente
quare romandiola olim flaminia dicebatur. Nam sicut legi in quadam cronica
duo templa erant in ytalia celeberrima, videlicet templum dei fauni et templum esculapii
que erant apud romanos magne veneracionis maius signum a roma usque ad illa
templa erant vie artificiose miro modo composite sicut adhuc vestigia ostendunt, sed
honor dei fauni sine fauni maioris erat sollempnitatis et gracie que erat ubi nunc resi
det civitas fauensis. Sicut esculapius in illo loco nunc residet civitas esculi. Ob
missa igitur civitate esculana et piceno i. marchia anchonitane provincia roma
diole hystoriam prosequentes ¶ Nota quod civitas fauensis edificata fuit a furio
camillo romanorum probissimo duce in eodem loco gallos fugante, sicut dicitur
in cronica metrica hiis versibus. Brennus ubi remanet sequitur camillus et anger
flumine methauro fauensia littora tangit. Et super ilmicu marte fugavit eum,
Quadam fortuna romanis ytulit omen. Edificant urbem cui dant ex noie
nomen. A fauno fauni nomen habere civitatem. Eidem igitur templo edificato ad honorem
dei fauni proco quod ibi responsum a diis devociora receperunt, in oleum ut semper
cum illo templo voce humana petentibus responsa darent. Ideo omnes de rebus
dubiis certificari volentes ad fauni templum accedebant. Peregrini igitur illud templum
visitare volentes in ingressu provincie sacerdotibus dei fauni obviabant a quibus
de modo ymolandi et ritu sacrificandi instruebantur. Unde ex hoc in eodem loco
facta est ibi civitas a templo ymolacionis ymola vocata. Ulterius vero incedentes
alios inveniebant sacerdotes eis fauentes et auxilia conferentes. Unde ibidem
fuit civitas edificata a fauentibus fauencia dicta. Ulterius vero procedentes
forum vero cuiusdam inveniebat a quo forlivium i. forum livii civitas est vocata.
Erat autem duplex forum nobilium sive magnorum civium, que nobiles et